

OFFICIA PROPRIA
DIOECESIS
BEROLINENSIS

JUSSU ET AUCTORITATE
REVERENDISSIMI
ET EXCELLENTISSIMI DOMINI

CONRADI DE PREYSING
EPISCOPI BEROLINENSIS

EDITA

PARS ÆSTIVA

1939

RATISBONÆ

LPTIBUS ET TYPIS FRIDERICI PUSTET
S^{SS} APOSTOLICÆ ET S. RITUM CONGREG. TYPOGRAPHI

SACRA CONGREGATIO RITUUM

No. R. 14/39

BEROLINEN.

Post novi Kalendarii Dioceseos Berolinensis diei 23 Octobris anno 1931 approbationem, Exc.mus ac Rev.mus Dominus Conradus de Preysing, Berolinensis Episcopus, Officia propria in usum cleri sibi commissæ Dioceseos concinnanda curavit, et Sanctissimi Domini nostri Pii Papæ XII iudicio reverenter subiecit. Eorundem vero Officiorum revisione et emendatione diligenti studio peracta, Sacra Rituum Congregatio ea probari posse censuit. Facta postmodum super hæc Eidem Sanctissimo Domino nostro per infrascriptum E.mum Cardinalem Præfectum relatione, Sanctitas Sua, Officia propria Dioceseos Berolinensis, prouti in adjecto prostant exemplari, probare et ab ejusdem Dioceseos clero adhibenda concedere benigne dignata est; servatis Rubricis et Declaratione de Sanctis vel Beatis alicubi publico cultu honoratis absque certo S. Sedis decreto vel indulto, die 28 Aprilis 1914 data. Contrariis quibuscumque non obstantibus. Die 21 Junii 1939.

L. † S.

C. Card. Salotti S. R. C. Præfectus
A. Carinci S. R. C. Secretarius

APPROBATIO

Concordat cum originali approbato
Berolini, die 20 Augusti 1939

PRANGE
Vic. Gen.

IMPRIMATUR.

Ratisbonæ, die 26 Augusti 1939

v. n.
DR. DOEBERL

KALENDARIUM
DIŒCESIS BEROLINENSIS

a Sacra Rituum Congregatione
revisum et approbatum die 23 Octobris 1931

Majus

| | | |
|---|----|---|
| e | 18 | S. Venantii Mart., duplex. |
| f | 19 | S. Petri Cælestini Papæ et Conf., duplex. Com. S. Pudencianæ Virg. |
| g | 20 | S. Bernardini Senensis Conf., semiduplex. |
| A | 21 | |
| b | 22 | |
| c | 23 | |
| d | 24 | |
| e | 25 | S. Gregorii VII Papæ et Conf., duplex. Com. S. Urbani I Papæ et Mart. |
| f | 26 | S. Philippi Nerii Conf., duplex. Com. S. Eleutherii Papæ et Mart. |
| g | 27 | S. Bedæ Venerabilis Conf. et Eccl. Doct., duplex. Com. S. Joannis I Papæ et Mart. |
| A | 28 | S. Augustini Ep. et Conf., duplex. |
| b | 29 | S. Mariæ Magdalenæ de Pazzis Virg., semiduplex. |
| c | 30 | S. Felicis I Papæ et Mart., simplex. |
| d | 31 | S. Angelæ Mericiæ Virg., duplex. Com. S. Petronillæ Virg. |

Junius

| | | |
|---|----|---|
| e | 1 | |
| f | 2 | Ss. Marcellini, Petri atque Erasmi Ep., Mm., simplex. |
| g | 3 | |
| A | 4 | S. Francisci Caracciolo Conf., duplex. |
| b | 5 | S. Bonifatii Ep. et Mart., duplex II classis. |
| c | 6 | S. Norberti Ep. et Conf., duplex. |
| d | 7 | |
| e | 8 | |
| f | 9 | Ss. Primi et Feliciani Mm., simplex. |
| g | 10 | S. Margaritæ Reginæ, Viduæ, semiduplex. |
| A | 11 | S. Barnabæ Apostoli, duplex majus. |
| b | 12 | S. Joannis a S. Facundo Conf., duplex. Com. Ss. Basilidis, Cyrini, Naboris et Nazarii Mm. |
| c | 13 | S. Antonii de Padua Conf., duplex. |
| d | 14 | S. Basilii Magni Ep., Conf. et Eccl. Doct., duplex. |
| e | 15 | Ss. Viti, Modesti atque Crescentiæ Mm., simplex. |
| f | 16 | S. Bennonis Ep. et Conf., duplex. |
| g | 17 | |
| A | 18 | S. Ephræm Syri Diaconi, Conf. et Eccl. Doct., duplex. Com. Ss. Marci et Marcelliani Mm. |

- b 19 S. Julianæ de Falconeriis Virg., duplex. Com. Ss. Gervasii et Protasii Mm.
 c 20 S. Silverii Papæ et Mart., simplex.
 d 21 S. Aloisii Gonzagæ Conf., duplex.
 e 22 S. Paulini Ep. et Conf., duplex.
 f 23 Vigilia.
 g 24 † Nativitas S. Joannis Baptistæ, duplex I classis cum Octava communi.
 A 25 S. Gulielmi Abb., duplex. Com. Octavæ.
 b 26 Ss. Joannis et Pauli Mm., duplex. Com. Octavæ.
 c 27 De Octava, semiduplex.
 d 28 S. Irenæi Ep. et Mart., duplex. Com. Octavæ et Vigiliæ.
 e 29 †† Ss. Petri (Patroni principalis Diœcesis) et Pauli Apostolorum, duplex I classis cum Octava communi.
 f 30 Commemoratio S. Pauli Apostoli, duplex majus. Com. S. Petri Ap. et Octavæ S. Joannis Bapt.

Julius

- g 1 Pretiosissimi Sanguinis D. N. J. C., duplex I classis. Com. diei Octavæ S. Joannis Bapt.
 A 2 Visitatio B. Mariæ Virg., duplex II classis. Com. Ss. Processi et Martiniani Mm.
 b 3 S. Ottonis Ep. et Conf., Patroni æqueprinc. Diœcesis, duplex I classis cum Octava communi. Com. S. Leonis II Papæ et Conf.
 c 4 Commemoratio Omnium Sanctorum Summorum Pontificum, duplex majus. Com. S. Udalrici Ep. et Conf., Octavæ Ss. App. et Oct. S. Ottonis.
 d 5 S. Antonii Mariæ Zaccaria Conf., duplex. Com. Octavæ Ss. App. et Oct. S. Ottonis.
 e 6 Octava Ss. Petri et Pauli App., duplex majus. Com. Oct. S. Ottonis.
 f 7 Ss. Cyrilli et Methodii Epp. et Cc., duplex. Com. Oct. S. Ottonis.
 g 8 S. Elisabeth Reginæ, Viduæ, semiduplex. Com. Oct. S. Ottonis.
 A 9 De Octava S. Ottonis, semiduplex.
 b 10 Octava S. Ottonis Ep. et Conf., duplex majus. Com. Ss. septem Fratrum Martyrum ac Ss. Rufinæ et Secundæ Vv. et Mm.
 c 11 S. Pii I Papæ et Mart., simplex.
 d 12 S. Joannis Gualberti Abb., duplex. Com. Ss. Naboris et Felicis Mm.
 e 13 S. Anacleti Papæ et Mart., semiduplex.
 f 14 S. Bonaventuræ Ep., Conf. et Eccl. Doct., duplex.
 g 15 S. Henrici Imperatoris, Conf., duplex.
 A 16 Com. B. Mariæ Virg. de Monte Carmelo, duplex majus.
 b 17 S. Alexii Conf., semiduplex.
 c 18 S. Camilli de Lellis Conf., duplex. Com. Ss. Symphorosæ et septem Filiorum ejus Mm.

- d 19 S. Vincentii a Paulo Conf., duplex.
 e 20 S. Hieronymi Æmiliani Conf., duplex. Com. S. Margaritæ Virg. et Mart.
 f 21 S. Praxedis Virg., simplex.
 g 22 S. Mariæ Magdalenæ Pœnitentis, duplex.
 A 23 S. Apollinaris Ep. et Mart., duplex. Com. S. Liborii Ep. et Conf.
 b 24 Vigilia. Com. S. Christinæ Virg. et Mart.
 c 25 † S. Jacobi Apostoli, duplex II classis. Com. S. Christophori Mart.
 d 26 † S. Annæ Matris B. M. V., duplex II classis.
 e 27 S. Pantaleonis Mart., simplex.
 f 28 Ss. Nazarii et Celsi Mm., Victoris I Papæ et Mart. ac Innocentii I Papæ et Conf., semiduplex.
 g 29 S. Marthæ Virg., semiduplex. Com. Ss. Felicis II Papæ, Simplicii, Faustini et Beatrix Mm.
 A 30 Ss. Abdon et Sennen Mm., simplex.
 b 31 S. Ignatii Conf., duplex majus.

Augustus

- c 1 S. Petri Ap. ad Vincula, duplex majus. Com. S. Pauli Ap. et Ss. Machabæorum Mm.
 d 2 S. Alfonsi Mariæ de Ligorio Ep., Conf. et Eccl. Doct., duplex. Com. S. Stephani I Papæ et Mart.
 e 3 Inventio S. Stephani Protomartyris, semiduplex.
 f 4 S. Dominici Conf., duplex majus.
 g 5 Dedicatio S. Mariæ ad Nives, duplex majus.
 A 6 Transfiguratio D. N. J. C., duplex II classis. Com. Ss. Xysti II Papæ, Felicissimi et Agapiti Mm.
 b 7 S. Cajetani Conf., duplex. Com. S. Donati Ep. et Mart.
 c 8 Ss. Cyriaci, Largi et Smaragdi Mm., semiduplex.
 d 9 S. Joannis M. Vianney Conf., duplex. Com. Vigiliæ et S. Romani Mart.
 e 10 † S. Laurentii Martyris, duplex II classis cum Octava simplici.
 f 11 Ss. Tiburtii et Susannæ Virg., Mm., simplex.
 g 12 S. Claræ Virg., duplex.
 A 13 Ss. Hippolyti et Cassiani Mm., simplex.
 b 14 Vigilia. Com. S. Eusebii Conf.
 c 15 †† Assumptio B. Mariæ Virginis, duplex I classis cum Octava communi.
 d 16 S. Joachim, Patris beatæ Mariæ Virg., Conf., duplex II classis.
 e 17 S. Hyacinthi Conf., duplex majus. Com. Octavæ Assumptionis et diei Octavæ S. Laurentii.
 f 18 S. Rochi Conf., semiduplex. Com. Octavæ Assumptionis et S. Agapiti Mart.
 g 19 S. Joannis Eudes Conf., duplex. Com. Oct. Assumptionis.
 A 20 S. Bernardi Abb., Conf. et Eccl. Doct., duplex. Com. Octavæ Assumptionis.

Kalendarium

| | | |
|------------------|----|---|
| b | 21 | S. Joannæ Franciscæ Fremiot de Chantal Vid., duplex. Com. Octavæ Assumptionis. |
| c | 22 | Octava Assumptionis B. Mariæ Virg., duplex majus. Com. Ss. Timothei et Sociorum Mm. |
| d | 23 | S. Philippi Benitii Conf., duplex. Com. Vigiliæ. |
| e | 24 | † S. Bartholomæi Apostoli, duplex II classis. |
| f | 25 | S. Ludovici Regis, Conf., semiduplex. |
| g | 26 | S. Zephyrini Papæ et Mart., simplex. |
| A | 27 | S. Josephi Calasantii Conf., duplex. |
| b | 28 | S. Augustini Ep., Conf. et Eccl. Doct., duplex. Com. S. Hermetis Mart. |
| c | 29 | Decollatio S. Joannis Baptistæ, duplex majus. Com. S. Sabinae Mart. |
| d | 30 | S. Rosæ a S. Maria Virg. Limanæ, duplex. Com. Ss. Felicis et Adaucti Mm. |
| e | 31 | S. Raymundi Nonnati Conf., duplex. |
| September | | |
| f | 1 | S. Ægidii Abb., simplex. Com. Ss. duodecim Fratrum Mm. |
| g | 2 | S. Stephani Regis, Conf., semiduplex. |
| A | 3 | |
| b | 4 | |

OFFICIA PROPRIA DIECESIS BEROLINENSIS

PARS ÆSTIVA

Die 5 Junii

**S. Bonifatii
Episcopi et Martyris**

Duplex II classis

Omnia ut in Communi unius
Martyris, præter ea, quæ in
Breviario hac die habentur
propria.

In I Vesperis fit Commemo-
ratio præcedentis.

In I Nocturno Lectiones
A Miléto.

In II Vesperis fit Commemo-
ratio sequentis.

Die 16 Junii

**S. Bennonis
Episcopi et Confessoris**

Duplex

V. Amávit eum Dómi-
nus, et ornávit eum. R.
Stolam glóriæ induit eum.

Ad Magnif. Ant. Sacér-
dos et Pontifex, * et vir-
tutum ópifex, pastor bone
in pópulo, ora pro nobis
Dóminum.

Oratio

Deus, qui nos beáti
Bennónis Pontificis
confessione glorió-
sa circúmdas et prótegis:
da nobis, et ejus imitatio-
ne proficere, et intercessio-
ne gaudere. Per Dóminum.

In II Nocturno

Lectio iv

Benno, Hildésima Saxó-
niæ civitáte, illústri-
bus genitóribus oriúndus,
quinquénis sancto Ber-
nárdo Hildesiménsi epí-
scopo, ejus consanguíneo,
commendátus, Wiggero
monastéii sancti Michaé-
lis præpósito, in Dei timó-
re instruendus, et in stúdio
litterárum erudiendus trá-
ditur. Factus adolescens
episcopi consílio, sumpto
hábitu monachórum, in
eódem cenóbio tam sanc-
te vixit, ut mórtuo abbá-
te cogerétur sollicitúdinis
abbatiális sárčinam sub-

ire: cujus tamen vacatiōnem præ amore vitæ contemplativæ post spātium trium circiter mēnsium flēntibus sæpe oculis impetravit. Cum autem sperāret, reliquum vitæ privātim in oratiōne transigere, Henricus imperātor, tertius hujus nōminis, cūpiens in Ecclesia Goslariēsi, a se nuper absolutā, congregatiōnem Canonicōrum regulāriter vivēntium, a probatissimis et doctissimis quibusque Germanōrum constitūtere, Bennōnem magnis precibus a Pontifice Leone nono impetrātum, et illius auctoritate ab ordine monāstico ad canonicum translātum, eidem novellæ congregatiōni magistrum dedit, ut illi spiritalis armaturæ dux esset, et illam ecclesiasticā disciplinā tirociniis informāret.

R. Invēni David servum meum, oleo sancto meo unxi eum: * Manus enim mea auxiliābitur ei. **V.** Nihil proficiet inimicus in eo, et filius iniquitatis non nocēbit ei. **Manus.**

Lectio v

Cum autem annos decem et septem in canōnica congregatiōne sanctissime

vixisset, et monastērium Goslariēse multōrum prædiōrum, domōrum et cēnsuum patērnæ hereditatis attributiōne ditavisset, suadēnte beāto Annōne Coloniēsi archiepiscopo ecclesiæ Misnēsi tunc vacānti præfectus, episcopātum ne acciperet, omnibus quibus potuit modis restitit: sed tandem beāti Annōnis acri objurgatiōne compūsus potius quam persuāsus, illum suscepit: non nescius tamen, divino sibi revelānte spirītu, quantis tribulatiōnum fluctibus in episcopātu foret exagitāndus: quemāmodum ipse evēntus comprobāvit: dum Henricus quartus imperātor, bello contra Saxōnes excitato, sanctum episcopum, officio boni pastōris incumbētem, et nihil mali suspiciantem invādens, insōntem capit, omnia illius ecclesiæ bona diripit, et captum carcēribus et exsilio durissimo damnat.

R. Pōsui adjutōrium super potēntem, et exaltavi elēctum de plebe mea: * Manus enim mea auxiliābitur ei. **V.** Invēni David servum meum, oleo sancto meo unxi eum. **Manus.**

Lectio vi

Revocātus deinde ab exsilio et ad suam ecclesiā ire permissus, mox alia tempestate contra illum oborta exsulare denuo compellitur: exorto nimirum diro schismate inter Romānum Pontificem Gregōrium septimum, et ipsum imperatorem, quo vel Henrici iram incurre, vel Dei et Pontificis mandatōrum transgressor fieri cogitur. Eligens enim potius indignationem hominum incurrere, quam divinum mandatū contēmnere: superatis insidiis sibi in itinere paratis, Romam pergens, Pontifici adhæsit, et pro illius auctoritate, nec non etiā pro ecclesiastica libertate contra ipsum imperatorem acerrime pugnavit, et unus fere ex tota Germania concilio Romāno, eādem causa contra imperatorem celebrato interfuit et subscripsit. Qui tandem imperatore viribus fracto, libere ad ipsam ecclesiam reversus: dum eidem ecclesiæ instaurandæ, moribusque reformandis strenuam operam impendit: dum Slavis ab errore idolatriæ repurgandis, præ-

dicatione et miraculis totus incumbit: sentiens horam sui exitus appropinquare, convocatis fratribus et ad mutuam dilectionem serio cohortatis: prænuntiata quæ futura erat, Ecclesiæ pace ac tranquillitate, in Domino obdormivit, decimo sexto Kalendas Julii, ab Hadriano sexto in Sanctorum número relatus.

R. Iste est, qui ante Deum magnas virtutes operatus est, et omnis terra doctrina ejus replata est: * Ipse intercēdat pro peccatis omnium populorum. **V.** Iste est, qui contempsit vitam mundi, et pervenit ad cælestia regna. **Ipse. Glória Patri. Ipse.**

In III Nocturno Homilia in Evangelium Homo peregre proficiscens, de Communi.

Ad Laudes

V. Justum deduxit Dominus per vias rectas. **R.** Et ostendit illi regnum Dei.

Ad Bened. Ant. Euge, serve bone * et fidelis, quia in pauca fuisti fidelis, supra multa te constituam, dicit Dominus.

Oratio

Deus, qui nos beáti Benónis Pontificis confessióne gloriósa circumdas et prótegis: da nobis, et ejus imitatioe proficere, et intercessioe gaudere. Per Dóminum nostrum.

In II Vesperis

V. Justum deduxit Dóminus per vias rectas. **R.** Et ostendit illi regnum Dei.

Ad Magnif. Ant. Amávit eum Dóminus, * et ornávit eum: stolam glóriæ induit eum, et ad portas paradísi coronávit eum.

Die 29 Junii

Ss. Petri

(Patroni principalis diocesis)

et Pauli App.

Omnia ut in Breviario.

Die 3 Julii

**S. Ottonis Ep. et Conf.,
Pomeranorum Apostoli et
Patroni æqueprincipalis
diocesis**

Duplex I classis
cum Octava communi
(m. t. v.)

Omnia de Communi Confessoris Pontificis, præter ea, quæ hic habentur propria.

In I Vesperis

V. Amávit eum Dóminus, et ornávit eum. **R.** Stolam glóriæ induit eum. **Ad Magnif. Ant.** Bonus pastor * in pópulo et cælestia cómmoda et terréna stipéndia suis præbuit óvibus.

Oratio

Deus, cujus virtúte beátus Otto Conféssor tuus et Póntifex in fide instrúxit et solidávit Pomeranórum gentem: concéde pastor própius; ut, qui doctor factus est infidélium populórum, pro fidélium tuórum cœtu pius intercëssor exsístat. Per Dóminum.

Et fit Commemoratio præcedentis:

Ant. Beátam me dicent omnes generatiónes, quia ancillam húmitem respéxit Deus, allelúja.

V. Benedícta tu in muliéribus. **R.** Et benedíctus fructus ventris tui.

Oratio

Fámulis tuis, quæsumus, Dómine, cælestis grátia munus impertíre: ut, quibus beátæ Vírginis partus exstítit salútis exórdium; Visitatiónis ejus votiva solémnitas, pacis tríbuat in creméntum. Per Dóminum.

In II Nocturno

Lectio iv

Pomeranórum Apóstolus Otto, in Suévia natus, duxit originem ex familia ingénua, claritáte quidem nóbili, in ópibus autem mediócri. Percúrsis litterárum stúdiis in Polóniam peregre vadens, lingua illius terræ apprehénsa, scholam puerórum rexit. Ascítus est in aulam Polóniæ ducis, qui eum legátum misit ad Henricum imperatórem hujus nóminis quartum, cujus grátiam ita sibi comparávit, ut ad regni cancellárii munus vocarétur. Rupérto deínde Bambergénsi Episcopo defúncto, ab imperatóre ecclésiæ viduátæ præfícitur, invítus quidem, propter contentiónem illam, quæ erat tunc téporis inter regnum et sacerdotium, investituræ causa. Sine mora itaque ad Paschálem Summum Pontificem litteras misit, a quo Romam evocátus, pedum et ánulum ab imperatóre accéptos, ad Pontificis pedes depósuit et cúriæ valedíxit. Sed revocátus mandátó Pontificis, Anágniæ in ipsa Pentecóstes die Episcopus consecrátur. In

episcopátu præsertim extruéndis et dotándis ecclésiis ac monastériis cláruit. **R.** Inveni David servum meum, óleo sancto meo unxi eum: * Manus enim mea auxiliábitur ei. **V.** Nihil proficiet inimicus in eo, et filius iniquitátis non nocébit ei. **Manus.**

Lectio v

Sed, majóra de eo disponente providéntia divína, factum est, ut Bolesláus, Polóniæ dux, Bambergensem Episcopum invitáverit, ut genti Pomeranórum, in ténébris adhuc et umbra mortis sedénti, lumen veritátis osténdere vellet. Qui, accépta Apostólicæ Sedis licéntia, huic gravíssimo óneri húmeros devóte applicuit. Et quia fama ferénte audierat, Pomerános opuléntia suæ terræ fretos Bernárdum Episcopum prædicántem, ob paupertátem suam despéctum eiecisse, Otto studióse procurávit, ut comitátu spléndido instrúctus iter aggredérétur, ut novellæ plantatióni sua pótius conférre, quam illórum bona appétere dignoscerétur. Per Bohémiam, SiléSIAM, Polóniam proféctus et a Pomeranórum duce

honorífice recéptus, primo ad castrum Piríssæ, deinde Camínam véniens, cautéla prudéntiæ et sermónis lenitáte conspícuus, ingénti fructu pópulum catechízat, in mystériis fidei ínstruit, præsertim de septem sacraméntis dilúcidè prædicans, plus viginti mília paganórum baptizat. In Julínam, civitátem magnam et fortem, navígio vectus et noctu ducis palátium ingræssus, a furénte pópulo ad necem quæritur; mane vero primátes gentis Ottóni promiserunt, se factúros quidquid fácerent incolæ Stetínæ urbis, quam antiquíssimam et nobilíssimam esse dicébant. Quibus audítis Episcopus illuc adíre festínat et Stetínénsium ánimos ita lenívit, ut idóla confríngi pateréntur. Convérsis étiam Colobérge et Belgárda óppidis, et templis christiánis ibi dicátis, post novem ménsium apostólicos labóres ad suos revértitur.

R. Pósui adjutórium super poténtem, et exaltávi eléctum de plebe mea: * Manus enim mea auxiliábitur ei. **V.** Invéni David servum meum, óleo sancto meo unxi eum. **M**anus.

Lectio vi

Triénno deinde in dicécsi sua Bambergénsi morátus, amóre novéllæ colóniæ suæ flagrans, illam revísere aggreditur; per Saxóniam hac vice iter dispósuit, Norbértum, Magdeburgénsem Metropolítam salutávit, et civitátis Timínæ ducem et pópulum convértit. Hologástam intrómíssus cum sóciis, fana et delúbra paganórum destrúxit; ad Verános autem in Rúgia ínsula habitántes, gentem ferócem ac bárbaram, pérgere a suis prohibitus, navem ingræssus Stetínam íterum áppulit, cujus urbis cives ab juráta fide defecísse cum ánimi dolóre compérrerat. Vocáti ad collóquium, Ottónis lenitáte devícti respiscunt. Intérea vero rex Lothárius ceterique príncipes Germánia diuturnam beáti viri ægre feréntes abséntiam, peténdo mandant, ut Bambergénsem ecclésiám desideráto suo réditu recreáret. Itaque calamitátibus et moléstiis longæ peregrinatiónis fórtiter tolerátis, per decénnum adhuc in pátria invínea Dómini excolénda strénue laborávit. Hora

prima diéi géntium Apóstolo, sancto Paulo dicáti tandem cælo réddidit ánimam, anno millésimo centésimo trigésimo nono; venerábile corpus vero in montem sancti Michaélis defértur ibíque in ecclésia, quam ipse a fundaméntis reædificáverat, requiéscit.

R. Iste est, qui ante Deum magnas virtútes operátus est, et omnis terra doctrína ejus repléta est: * Ipse intercédát pro peccátis ómnium populórum. **V.** Iste est, qui contémpsit vitam mundi, et pervénit ad cæléstia regna. **I**pse. **G**lória Patri. **I**pse.

In III Nocturno

Léctio sancti Evangélii secúndum Lucam

Lectio vii Cap. 11, 33-36

In illo témpore: Dixit Jesus discípulis suis: Nemo lucérnam accéndit et in abscondito ponit neque sub módio, sed supra candelábrum, ut, qui ingrediúntur, lumen vídeant. Et reliqua.

Homília sancti Ambrósii Episcopi

Lib. 7 *Comm. in Luc. c. 11, post initium*

Quia in superióribus Ecclésiám synagógæ prætulit, hortátur nos, ut fi-

dem potius nostram ad Ecclésiám transferámus. Lucérna enim fides est, juxta quod scriptum est: Lucérna pédibus meis verbum tuum, Dómine. Verbum enim Dei fides nostra est: Verbum Dei lux est. Lucérna est fides. Erat lux vera quæ illúminat omnem hóminem veniéntem in hunc mundum. Lucérna autem lucére non potest, nisi aliúnde lumen accéperit.

R. Amávit eum Dóminus, et ornávit eum: stollam glóriæ induit eum, * Et ad portas paradísi coronávit eum. **V.** Induit eum Dóminus lorícám fidei, et ornávit eum. **E**t.

Lectio viii

Hæc est lucérna, quæ accénditur, virtus scilicet nostræ mentis et sensus, ut drachma illa possit, quæ perierat, reperíri. Nemo ergo fidem sub lege constítuat. Lex enim intra mensúram est, ultra mensúram grátia: lex obúbrat, grátia clarificat. Et ideo nemo fidem suam intra mensúram legis inclúdat, sed ad Ecclésiám cónferat, in qua septifórmis Spiritus relúcet grátia,

quam princeps ille sacerdotum fulgore supernae divinitatis illuminat, ne eam legis umbra resinguat.

R. Sint lumbi vestri praecincti, et lucernae ardentes in manibus vestris: * Et vos similes hominibus expectantibus dominum suum, quando revertatur a nuptiis. **V.** Vigilate ergo, quia nescitis qua hora Dominus vester venturus sit. **Et. Gloria Patri. Et.**

Lectio ix

Denique lucerna illa, quam matutinis vesperinisque temporibus ritu veteri Judaeorum princeps sacerdotum solébat accendere, velut sub modulo sita legis evanuit; et civitas illa Jerusalem, quae in terris est, quae occidit prophetas, quasi in convalesce fetus posita delitescit: illa autem Jerusalem: quae in caelo est, in qua militat fides nostra, in illo altissimo omnium locata monte, hoc est Christo, non potest tenebris et ruinis hujus mundi abscondi, sed fulgore candore solis aeterni, luce nos gratiae spiritalis illuminat.

Te Deum laudamus.

Ad Laudes

V. Justum deduxit Dominus per vias rectas. **R.** Et ostendit illi regnum Dei.

Ad Bened. Ant. Flagrans divini amoris igne, * vir venerabilis verbo praedicationis nostrae genti infudit lumen fidei.

Oratio

Deus, cujus virtute beatus Otto Confessor tuus et Pontifex in fide instruxit et solidavit Pomeranorum gentem: concede propitius; ut, qui doctor factus est infidelium populorum, pro fidelium tuorum coetu pius intercessor existat. Per Dominum.

Et fit Commemoratio S. Leonis II Papae et Conf.:

Ant. Euge, serve bone et fidelis, quia in pauca fuisti fidelis, supra multa te constitutam, dicit Dominus.

V. Amavit eum Dominus, et ornavit eum. **R.** Stolam gloriae induit eum.

Oratio

Deus, qui beatum Leonem Pontificem Sanctorum tuorum meritis coaequasti: concede propitius; ut, qui commemoracionis ejus festa percolumus, vitae quoque imitemur exempla. Per Dominum.

In II Vesperis

V. Justum deduxit, ut supra.

Ad Magnif. Ant. Gloria Sanctorum Christe, * cujus gratia anima praesulis nostri gaudet aeterna requie, annue votis supplicum venerantium pastorem.

Et fit Commemoratio sequentis et S. Udalrici Ep. et Conf., ut infra.

Die 4 Julii

Commemoratio Omnium Sanctorum Summorum Pontificum

Duplex majus

Ant. Sacerdotes Dei, benedicite Dominum: servi Domini, hymnum dicite Deo, alleluja.

V. Exaltent eos in ecclesia plebis. **R.** Et in cathedra seniorum laudent eos.

Oratio

Deus, qui populis tuis indulgentia consulis et amore dominaris: da spiritum sapientiae, suffragantibus meritis Antistitum Ecclesiae tuae, quibus dedisti regimen disciplinae; ut de profectu sanctarum ovium, fiant gaudia aeterna pastorum. (Per Dominum.)

Deinde Commemoratio S. Udalrici Ep. et Conf.:

Ant. Sacerdos et Pontifex, et virtutum opifex, pastor bone in populo, ora pro nobis Dominum.

V. Amavit eum Dominus, et ornavit eum. **R.** Stolam gloriae induit eum.

Oratio

Deus, qui conspicias, quia ex nulla nostra virtute subsistimus: concede propitius; ut, intercessione beati Udalrici Confessoris tui atque Pontificis, contra omnia adversa muniamur. Per Dominum.

Ad Matutinum

Invit. Christum Principem Pastorum * Venite, adoremus.

Ps. 94 Venite, exultemus.

Hymnus

Aeterna Christi munera, Et gloriam Pontificum,

Laudes canentes debitas, Laetis canamus mentibus.

Ecclesiarum principes, Belli triumphales duces, Caelestis aulae milites, Et vera mundi lumina.

Devota sanctorum fides, Invicta spes credentium,

Perfēcta Christi cāritas,
Mundi triūmphant principi-
pem.

In his Patērna glōria,
In his volūntas Spiritus,
Exsūltat in his Filius,
Cælum replētur gāudio.

Te nunc, Redēptor,
quæsumus,
Ut ipsōrum consōrtio
Jungas precāntes sērvu-
los,

In sempitērna sēcūla.

Amen.

Ant., Ps. et V. trium Noct.
de Communi Apostolorum.

In I Nocturno

De libro Ecclesiāstici

Lectio i Cap. 44, 1-5

Laudēmus viros gloriōsos,
et parēntes nostros in
generatiōne sua. Multam
glōriam fecit Dōminus
magnificētia sua a sēcū-
lo. Domināntes in potestā-
tibus suis, hōmīnes magni
virtūte, et prudētia sua
præditi, nuntiāntes in Pro-
phētis dignitatem Prophe-
tārum, et imperāntes in
præsēnti pōpulo, et virtūte
prudētiæ pōpulis sanctis-
sima verba. In peritiā sua
requirēntes modos mūsi-
cos, et narrāntes cārmina
scripturārum.

R. Ecce ego mitto vos sic-
ut oves in medio lupōrum,

dicit Dōminus: * Estōte
ergo prudētes sicut ser-
pēntes, et simplices sicut
colūmbæ. V. Dum lucem
habētis, crēdite in lucem,
ut filii lucis sitis. Estōte.

Lectio ii Cap. 44, 6-9

Hōmīnes divites in virtū-
te, pulchritūdinis stū-
dium habēntes: pacificāntes
in dōmibus suis. Omnes
isti in generatiōnibus
gentis suæ glōriam adēpti
sunt, et in diēbus suis ha-
bēntur in laudibus. Qui de
illis nati sunt, reliquērunt
nomen narrāndi laudes eō-
rum: et sunt quorum non
est memōria: periērunt
quasi qui non fūerint: et
nati sunt, quasi non nati,
et filii ipsōrum cum ipsis.

R. Tōllite jugum meum
super vos, dicit Dōminus,
et discite a me, quia mītis
sum, et hūmīlis corde: *
Jugum enim meum suāve
est, et onus meum leve. V.
Et inveniētis rēquiem ani-
mābus vestrīs. Jugum.

Lectio iii Cap. 44, 10-15

Sed illi viri misericordiæ
sunt, quorum pietates
non defuerunt: cum sēmi-
ne eōrum pērmanent bona,
herēditas sancta nepōtes
eōrum et in testamētis
stetit semen eōrum: et fi-

lii eōrum propter illos us-
que in aeternum manent:
semen eōrum et glōria eō-
rum non derelinquētur.
Cōrpora ipsōrum in pace
sepūlta sunt, et nomen eō-
rum vivit in generatiōnem
et generatiōnem. Sapiēti-
am ipsōrum narrent pōpu-
li, et laudem eōrum nūnti-
et Ecclēsia.

R. Dum stetēritis ante
reges et præsides, nolite
cogitare quōmodo aut
quid loquāmini: * Dābitur
enim vobis in illa hora,
quid loquāmini. V. Non
enim vos estis, qui loquī-
mini: sed Spīritus Patris
vestri, qui loquitur in vo-
bis. Dābitur. Glōria Patri.
Dābitur.

In II Nocturno

Sermo sancti Bernārdi
Abbātis

In Festo S. Malachiæ, Ep.

Lectio iv

Congratulēmur, fratres,
congratulēmur, ut dig-
num est, Pontificibus no-
stris: quia et pium est de-
fūctos plāngere, et pium
magis congaudēre vivēti-
bus. Numquid non vivunt?
Et beāte. Nimirum visi
sunt oculis insipiēntium
mori, illi autem sunt in pa-
ce. Dēnique jam concives

Sanctōrum et domēstici
Dei psallunt pariter, et
grātiās agunt, dicēntes:
Transivimus per ignem et
aquam, et induxisti nos
in refrigerium. Transiērunt
plane viriliter, et feliciter
pertransiērunt. Transiērunt
per ignem et aquam, quos
neque tristia frāngere, nec
definēre mōllia potuērunt.

R. Vidi conjūctos vi-
ros, habēntes splēndidas
vestes, et Angelus Dōmini
locūtus est ad me, dicens:
* Isti sunt viri sancti facti
amīci Dei. V. Vidi Ange-
lum Dei fortem, volāntem
per mēdium cælum, voce
magna clamāntem et di-
cēntem. Isti.

Lectio v

Lætēmur, quod Pontifices
nostri ascendērunt ad
cives suos, pro filiis capti-
vitatis legatiōne fungēntes,
corda nobis conciliāntes
Beatōrum, vota illis in-
timāntes miserōrum. Lætē-
mur, inquam, et exsul-
tēmus, quia cælēstis illa
cūria ex nobis habet, qui-
bus sit cura nostri, qui su-
is nos prōtegant mēritis,
quos informavērunt exēm-
plis, mirāculis confirmavē-
runt. Sancti Pontifices, qui
in spīritu humilitatis hō-

stias pacificas cælis frequenter invéxerant, per semetipsos introivérunt ad altáre Dei, ipsi hóstiæ et sacerdótes.

R. Beáti estis, cum maledixerint vobis hómines, et persecúti vos fúerint, et dixerint omne malum advérsus vos, mentiéntes, propter me: * Gaudéte et exultáte, quóniam merces vestra copiôsa est in cælis. **V.** Cum vos óderint hómines, et cum separáverint vos, et exprobráverint, et ejectionem nomen vestrum tamquam malum propter Fílium hóminis. **Gaudéte.**

Lectio vi

Benedictus Dóminus Deus, qui tantórum Pontíficum ministério visitávit plebem suam: et nunc assumptis iis in sanctam civitatem, tantæ recordatione suavitátis nostram non désinit consolári captivitatem. Exsúltent in Dómino eórum spíritus, quod leváti póndere corpóreæ molis, nulla jam fæculénta vel terréna matéria prægravántur, quo minus tota alacritáte ac vivacitáte corpóream omnem et incorpóream transeúntes creatúram, pergant toti in De-

um, et adhæréntes illi, unus sint cum eo spíritus in ætérnum. Domum istam decet sanctitúdo, in qua tantæ frequentátur memoria sanctitátis.

R. Isti sunt triumphatóres et amíci Dei, qui contemnéntes iussa príncipum, meruerunt præmia ætérna: * Modo coronántur, et accípiunt palmam. **V.** Isti sunt, qui venérunt ex magna tribulatióne, et lavérunt stolas suas in ságuine Agni. **Modo. Glória Patri. Modo.**

In III Nocturno

Lectio sancti Evangélii secundum Matthæum

Lectio vii Cap. 16, 13-19

In illo témpore: Venit Jesus in partes Cæsariæ Philippi, et interrogábat discipulos suos, dicens: Quem dicunt hómines esse Fílium hóminis? Et reliqua.

Homília sancti Leonis Papæ

Serm. 2 in anniv. assumpt. suæ, ante medium

Cum, sicut evangélica lectiône reserátum est, interrogáset Dóminus discipulos, quem ipsum, multis divérsa opinántibus,

créderent; respondissétque beátus Petrus, dicens: Tu es Christus Fílius Dei vivi; Dóminus ait: Beátus es, Simon Bar-Jona, quia caro et sanguis non revelávit tibi, sed Pater meus, qui in cælis est: et ego dico tibi, quia tu es Petrus, et super hanc petram ædificábo Ecclésiám meam, et portæ inferi non prævalébunt advérsus eam, et tibi dabo claves regni cælórum: et quodcúmque ligáveris super terram, erit ligátum et in cælis: et quodcúmque solvéris super terram, erit solútum et in cælis. Manet ergo dispositio veritátis, et beátus Petrus in accépta fortitúdine petræ perseveráns, suscepta Ecclésiæ gubernácula non reliquit.

R. Amávit eos Dóminus, et ornávit eos: stolam glóriæ induit eos, * Et ad portas paradísi coronávit eos. **V.** Induit eos Dóminus lorícám fidei, et ornávit eos. **Et.**

Lectio viii

In univérsa namque Ecclésia, Tu es Christus Fílius Dei vivi, quotidie Petrus dicit: et omnis lingua, quæ confitétur Dóminum, magistério hujus vo-

cis imbúitur. Hæc fides diábolum vincit, et captivórum ejus víncula dissólvit. Hæc értos mundo, inserit cælo, et portæ inferi advérsus eam prævalére non possunt. Tanta enim divinitus soliditáte muníta est, ut eam neque hæretica unquam corrumpere právitas, nec pagána potúerit superare perfidia. His itaque modis, dilectíssimi, rationábili obséquio celebrétur hodiérna festivitas, ut in persóna humilitátis meæ ille intelligátur, ille honorétur, in quo et ómnium Pastórum sollicitúdo cum commendatarum sibi óvium custódiá perseverat, et cujus étiam dignitas in indigno heréde non déficit.

R. Isti sunt, qui ante Deum magnas virtútes operáti sunt, et omnis terra doctrína eórum repléta est: * Ipsi intercédant pro peccátis ómnium populórum. **V.** Isti sunt, qui contempserunt vitam mundi, et pervenerunt ad cælestia regna. **Ipsi. Glória Patri. Ipsi.**

Pro S. Udalrico Ep. et Conf.:

Lectio ix [28]

Udalricus, excelsa progenia Alamannórum natus, puer mónachis sancti

Galli tráditur educándus, ubi stúdio litterárum et virtútum zelo, præsértim castimóniæ, excélluit. In pátriam revérsus, cognáto suo Adalberóni, episcopo Augustáno, fidéliter desérviit; cujus successóre Hil-tíno demórtuo, Udalricus ab Henrico primo rege episcopus ecclésiæ Augustánæ præficitur. Factus igitur episcopus, totum se contemplatióni dedit et sacrae lectióni: ínterim, ut pastor bonus, summa cura ac sollicitúdine óvibus suis invigilábat; quas étiam irrupéntibus aliquándo Húngaris fórtiter resisténdo precésque férvidas ad Deum fundéndo e summo discrimine feliciter liberávit. Ottónem Cæsarem ejúsque filium Liudólphum gravíssimis inter se dissidentes ódiis reconciliávit. Episcopátus múnere per quinquagínta annos digne et sancta functus obiit quinto Nonas Júlias, anno Incarnatiónis Domínicæ nongentésimo septuagésimo tértio. A Joánne Papa quintodécimo inter Sanctos relátus est, quæ fuit prima omníno inter omnes canonizatiónes solémmes. **Te Deum.**

Ad Laudes

Ant. 1 Sancti tui, * Dómine, florébunt sicut lílium, et sicut odor bálsami erunt ante te.

Psalmi de Dominica.

2 In cælestibus regnis * sanctórum habitátio est, et in ætérnum réquies eórum.

3 Córpora sanctórum * in pace sepúlta sunt, et nómina eórum vivent in ætérnum.

4 Spíritus et ánimæ * justórum, hymnum dicite Deo nostro, allelúja.

5 Fulgébunt justi * sicut sol in conspéctu Dei.

Capit. Hebr. 13, 7

Fratres: Mementóte præpositórum vestrórum, qui vobis locúti sunt verbum Dei: quorum intuéntes éxítum conversatiónis, imitámini fidem.

Hymnus

Rex glorióse Præsulum, Coróna confiténtium, Qui respuéntes térrea Perdúcis ad cælestia.

Aurem bénignam prótinus

Appóne nostris vócbus: Trophæa sacra pángimus, Ignóscæ quod deliquimus.

Tu vincis in Martýribus, Parcéndo Confessoribus: Tu vince nostra crimina, Donádo indulgéntiam.

Deo Patri sit glória, Ejúsque soli Filio, Cum Spíritu Paráclito, Et nunc, et in perpétuum. Amen.

V. Justos dedúxit Dóminus per vias rectas. **R.** Et osténdit illis regnum Dei.

Ad Bened. Ant. Vos estis lux mundi: non potest civitas abscondi supra montem pósita; neque accéndunt lucérnam, et ponunt eam sub módio, sed super candelábrum, ut luceat ómnibus, qui in domo sunt.

Oratio

Deus, qui pópulis tuis indulgéntia cónsulis et amóre domináris: da spíritum sapiéntiæ, suffragántibus méritis Antístítum Ecclésiæ tuæ, quibus dedísti régimen disciplínæ; ut de proféctu sanctárum óvium, fiant gáudia ætérna pastórum. Per Dóminum nostrum.

Et fit Commemoratio S. Udalrici:

Ant. Euge, serve bone et fidélis, quia in pauca fu-

sti fidélis, supra multa te constituam, dicit Dóminus.

V. Amávit eum Dóminus, et ornávit eum. **R.** Stolam glóriæ induit eum.

Oratio

Deus, qui cónspicis, quia ex nulla nostra virtúte subsístimus: concéde propítius; ut, intercessiône beáti Udalrici Confessoris tui atque Pontificis, contra ómnia advérsa muniámur. (Per Dóminum nostrum.)

Deinde Commemoratio Octavæ Ss. Apostolorum Petri et Pauli:

Ant. Gloriósi Príncipes terræ, quómodo in vita sua dilexérunt se, ita et in morte non sunt separáti.

V. In omnem terram exívit sonus eórum. **R.** Et in fines orbis terræ verba eórum.

Oratio

Deus, qui hodiérnam diem Apostolórum tuórum Petri et Pauli martýrio consecrásti: da Ecclésiæ tuæ, eórum in ómnibus sequi præcéptum; per quos religiónis sumpsit exórdium. (Per Dóminum nostrum.)

Postea Commemoratio Octavæ S. Ottonis:

Ant. Flagrans divini amoris igne, vir venerabilis verbo prædicationis nostræ genti infudit lumen fidei.

V. Elégit eum Dóminus sacerdotem sibi. **R.** Ad sacrificandum ei hóstiam laudis.

Oratio

Deus, cujus virtute beatus Otto Confessor tuus et Póntifex in fide instruxit et solidavit Pomeranorum gentem: concede propitius; ut, qui doctor factus est infidelium populorum, pro fidelium tuorum cœtu pius intercessor exsistat. Per Dóminum.

Ad Horas Antiphonæ et Psalmi de Feria.

Ad Tertiam

Capit. Hebr. 13, 7

Fratres: Mementote præpositorum vestrorum, qui vobis locuti sunt verbum Dei: quorum intuentes exitum conversationis, imitamini fidem.

R. br. Lætâmini in Dómino, * Et exsultate, justi. Lætâmini. **V.** Et gloriâmini, omnes recti corde. **Et.** Glória Patri. Lætâmini.

V. Exsultent justi in conspectu Dei. **R.** Et delectentur in lætitia.

Oratio

Deus, qui pópulis tuis indulgentia cónsulis et amore dominâris: da spiritum sapientiæ, suffragantibus méritis Anstítitum Ecclesiæ tuæ, quibus dedisti régimen disciplinæ; ut de profectu sanctarum óvium, fiant gáudia æterna pastórum. Per Dóminum.

Ad Sextam

Capit. Act. 20, 28

Atendite vobis, et univérso gregi, in quo vos Spíritus Sanctus posuit episcopos régere Ecclesiám Dei, quam acquisivit sángine suo.

R. br. Exsultent justi * In conspectu Dei. Exsultent. **V.** Et delectentur in lætitia. In. Glória Patri. Exsultent.

V. Justi autem in perpetuum vivent. **R.** Et apud Dóminum est merces eorum.

Ad Nonam

Capit. Hebr. 13, 17

Obædite præpósitos vestris, et subjacete eis: ipsi enim pervigilant, quasi rationem pro animabus vestris reddituri.

R. br. Justi autem * In perpetuum vivent. **Justi.** **V.** Et apud Dóminum est merces eorum. In. Glória Patri. **Justi.**

V. Exsultabunt sancti in glória. **R.** Lætábuntur in cubilibus suis.

In II Vesperis

Antiphonæ, Capitulum et Hymnus de Laudibus 20;* Psalmi ut in I Vesperis de Communi Apostolorum, sed loco ultimi Psalmus 131. *Memento, Dómine, David.*

V. Elégit eos Dóminus sacerdotes sibi. **R.** Ad sacrificandum ei hóstiam laudis.

Ad Magnif. Ant. Dum essent summi Pontífices, terréna non metuérunt, sed ad cæléstia regna gloriósi migrárunť.

Et sit Commemoratio S. Antonii Mariæ Zaccaria Conf.:

Ant. Similábo eum viro sapiénti, qui ædificávit domum suam supra petram.

V. Amávit eum Dóminus, et ornávit eum. **R.** Stulam glóriæ induit eum.

Oratio

Fac nos, Dómine Deus, supereminéntem Jesu Christi sciéntiam, spiritu Pauli Apóstoli ediscere:

qua beátus Antónius Maríá mirabiliter eruditus, novas in Ecclesiá tua clericorum et vírginum famílias congregávit. (Per eúndem Dóminum nostrum.)

Deinde Commemoratio S. Udalrici:

Ant. Amávit eum Dóminus, et ornávit eum: stulam glóriæ induit eum, et ad portas paradísi coronávit eum.

V. Justum dedúxit Dóminus per vias rectas. **R.** Et osténdit illi regnum Dei.

Oratio

Deus, qui cónspicis, quia subssistimus: concede propitius; ut, intercessióne beáti Udalrici Confessoris tui atque Pontíficis, contra ómnia advérsa muniámur. (Per Dóminum.)

Postea Commemoratio Octavæ Ss. Apostolorum Petri et Pauli:

Ant. Petrus Apóstolus et Paulus Doctor géntium, ipsi nos docuérunt legem tuam, Dómine.

V. Constitues eos príncipes super omnem terram. **R.** Mémores erunt nómínis tui, Dómine.

Oratio

Deus, qui hodiernam diem Apostolorum tuorum Petri et Pauli martyrio consecrasti: da Ecclesiæ tuæ, eorum in omnibus sequi præceptum; per quos religionis sumpsit exordium. (Per Dominum.)

Postremo Commemoratio Octavæ S. Ottonis:

Ant. Glória Sanctorum Christe, cujus grátia ánima præsulis nostri gaudet æterna réquie, annue votis supplicum venerantium pastorem.

V. Elégit eum Dominus sacerdotem sibi. **R.** Ad sacrificandum ei hostiam laudis.

Oratio

Deus, cujus virtute beatus Otto Confessor tuus et Pontifex in fide instruxit et solidavit Pomeranorum gentem: concede propitius; ut, qui doctor factus est infidelium populorum, pro fidelium tuorum cœtu pius intercessor existat. Per Dominum.

Completorium de Feria.

Pro Commemoratione Octavæ S. Ottonis

Ad Laudes

Ant. Flagrans divini amoris igne, vir venerabilis

verbo prædicationis nostræ genti infudit lumen fidei.

V. Justum deduxit Dominus per vias rectas. **R.** Et ostendit illi regnum Dei.

Oratio

Deus, cujus virtute beatus Otto Confessor tuus et Pontifex in fide instruxit et solidavit Pomeranorum gentem: concede propitius; ut, qui doctor factus est infidelium populorum, pro fidelium tuorum cœtu pius intercessor existat. Per Dominum.

Ad Vesperas

Ant. Glória Sanctorum Christe, cujus grátia ánima præsulis nostri gaudet æterna réquie, annue votis supplicum venerantium pastorem.

V. Justum deduxit, ut supra.

¶ Si Versus Justum dictus jam fuerit in Officio vel pro Commemoratione alicujus S. Confessoris, tunc pro Commemoratione Octavæ dicitur sequens

V. Amavit eum Dominus, et ornavit eum. **R.** Stulam glóriæ induit eum.

Si sequenti die Officium fit de ipsa Octava S. Ottonis, dicitur sequens Ant. et Versus:

Ant. Bonus pastor in populo et cælestia commoda et terræna stipendia suis præbuit óvibus.

V. Amavit, ut supra.

Die 9 Julii

De VII die infra Octavam S. Ottonis

Semiduplex

Hodie et in die Octava Antiphonæ et Psalmi ad omnes Horas et Versus Nocturnorum de occurrenti hebdomadæ die, ut in Psalterio; reliqua ut in Festo 10* præter Lectiones, quæ in I Nocturno dicuntur de Scriptura occurrenti cum suis Responsoriis de Tempore, in II et III assignantur propriæ.

In II Nocturno Lectiones Beati Patris Ottonis mérita, de Communi Confessoris Pontificis 2 loco.

In III Nocturno

Lectio sancti Evangelii secundum Lucam

Lectio vii Cap. 11, 33-36

In illo tempore: Dixit Jesus discipulis suis: Nemo lucernam accendit et in abscondito ponit neque sub módio, sed supra cancellabrum, ut, qui ingrediuntur, lumen videant. Et réliqua.

Homilia sancti Bedæ Venerabilis Presbyteri

Ex Comment. in Luc. cap. 50

Si autem nequam fuerit, etiam corpus tuum tenebrorum erit. Si autem perversa est intentio, quæ præcedit, pravum est omne opus, quod sequitur, quamvis rectum esse videatur. Vide ergo, ne lumen, quod in te est, tenebræ sint: hoc est, ne ipsa cordis intentio, quæ lumen est animæ, vitiorum caligine fuscetur, sedula discretione perpénde.

R. Amavit eum Dominus, et ornavit eum: stolam glóriæ induit eum, * Et ad portas paradisi coronavit eum. **V.** Induit eum Dominus loriam fidei, et ornavit eum. **Et.**

Lectio viii

Juxta quod alibi præcipitur: Omni custodia serva tuum cor: quoniam ex ipso vita procedit. Si ergo corpus tuum totum lucidum fuerit, non habens aliquam partem tenebrarum, erit lucidum totum. Totum corpus nostrum supra cuncta nostra opera dicit: quia et Apóstolus membra nostra nuncupat quædam opera, quæ im-

probat et mortificánda præcipit, dicens: Mortificáte ergo membra vestra, quæ sunt super terram, fornicatióem, immundítiam, libidinem et cætera tália.

R. Sint lumbi vestri præcíncti, et lucérnæ ardéntes in má nibus vestris: * Et vos símiles homínibus exspectántibus dóminum suum, quando revertátur a nuptiis. **V.** Vigilate ergo, quia nescitis qua hora Dóminus vester ventúrus sit. **Et. Glória Patri. Et.**

Lectio ix

Si igitur ipse bonum bona intentione patraveris, non habens in tua conscientia aliquam partem tenebrósæ cogitationis, etiámsi contigerit aliquem proximorum tua bona actione noceri, verbi gratia, aut de pecunia, quam a te indigens et petens, accéperat, facere vel pati aliquid mali, aut de verbo exhortationis, quo errantem corrigere volébas, forte perniciosius errare; tu tamen pro tuo simplici et lúcido corde, et hic in futuro lucis gratia donaberis.

Te Deum laudamus.

Die 10 Julii In die Octava S. Ottonis

Duplex majus

In I Vesperis fit Commemoratio Ss. septem Fratrum Mm. ac Rufinæ et Secundæ Virginum et Martyrum, ut in Brevariario.

In II Nocturno

SermosanctiGregóriiPapæ

Lectio iv

Tantum debet actionem populi actio transcendere præsulis, quantum distare solet a grege vita pastóris. Opórtet namque, ut metiri se sollicité studeat, quanta tenendæ rectitudinis necessitate constringitur, sub cujus æstimatione populus grex vocátur. Sit ergo necesse est cogitatione mundus, actione præcipuus, discretus in silentio, utilis in verbo, singulis compassione proximis, præ cunctis contemplatione suspensus, bene agentibus per humilitatem socius, contra delinquentium vitia per zelum justitiæ erectus, internorum curam in exteriorum occupatione non minuens, exteriorum providentiam in internorum sollicitudine non relinquens.

R. Inveni David servum meum, oleo sancto meo unxi eum: * Manus enim mea auxiliábitur ei. **V.** Nihil proficiet inimicus in eo, et filius iniquitatis non nocébit ei. **Manus.**

Lectio v

Considerandum quoque est, quia cum curam populi electus præsul suscipit, quasi ad ægrum medicus accedit. Si ergo adhuc in ejus corpore passiones vivunt, qua præsumptione percússum mederi próperat, qui in facie vulnus portat? Ille modis omnibus debet ad exemplum bene vivendi pertrahi, qui cunctis carnis passionibus moriens, jam spiritaliter vivit, qui prospera mundi postponit, qui nulla adversa pertimescit, qui sola eterna desiderat: cujus intentioni bene congruens, nec omnino per imbecillitatem corpus, nec valde per contumaciam repúgnat spiritus: qui ad aliena cupiéndam non ducitur, sed propria largitur.

R. Pósui adjutorium super potentem, et exaltavi electum de plebe mea: * Manus enim mea auxiliábitur ei. **V.** Inveni David

servum meum, oleo sancto meo unxi eum. **Manus.**

Lectio vi

Unde ipsum quoque episcopatus officium boni operis expressione definitur, cum dicitur: Si quis episcopatum desiderat bonum opus desiderat. Ipse ergo sibi testis est, quia episcopatum non appetit, qui non per hunc boni operis ministerium, sed honoris gloriam quærít. Sacrum quippe officium non solum non diligit omnino, sed nescit, qui ad culmen regiminis anhelans, in occulta meditatione cogitationis, ceterorum subjectione pascitur, laude propria lætatur, ad honorem cor elevat, rerum affluentium abundantia exsultat. Mundi ergo lucrum quærítur sub ejus honoris specie, quo mundi destrui lucra debuerant.

R. Iste est, qui ante Deum magnas virtutes operatus est, et omnis terra doctrina ejus repléta est: * Ipse intercedat pro peccatis omnium populorum. **V.** Iste est, qui contempsit vitam mundi, et pervenit ad cælestia regna. **Ipse. Glória Patri. Ipse.**

In III Nocturno

Lectio sancti Evangelii secundum Lucam

Lectio vii Cap. 11, 33-36

In illo tempore: Dixit Jesus discipulis suis: Nemo lucernam accendit et in abscondito ponit neque sub mōdio, sed supra candelabrum, ut, qui ingrediuntur, lumen videant. Et reliqua.

Homilia sancti Joannis Chrysostomi

In Matth. Homil. 21 circa mod.

Lucerna corporis tui est oculus tuus. Quod oculus corpori, hoc intellectus est animæ. Ut enim nequam optes auro ornari, veste serica conspici, si sit oculis tibi carendum, sed horum proculdubio sanitatem desiderabiliorem rebus omnibus judicares; quæ si tibi certe depereat, nihil te jam tota vita delætat: quanto magis pro oculis debes mentis efficere? Sicut enim postquam corporalium oculorum lumen extinctum est, omnia jam membra in miseria versantur ac tenebris, ita etiam mente cæcata, innumeris prorsus malis hominum vita cumulatur.

R. Amavit eum Dominus, et ornavit eum: stolam gloriæ induit eum, * Et ad portas paradisi coronavit eum. **V.** Induit eum Dominus lorïcãam fidei, et ornavit eum. **Et.**

Lectio viii

Quemadmodum igitur in corpore hoc maxime providemus, ut oculos habeamus incolumes; sic etiam in anima intellectus conservemus salutem. Si vero cæcæmus istum, quo aliis quoque debemus lumen inferre; unde jam ipsi poterimus aspicere? Sicut enim, qui caput ipsum fontis obstruxit, totum simul exsiccavit et fluvium; sic etiam, qui oculus mentis tenebris obduxit, omnes quoque vitæ istius actus una confusione cæcavit. Propter quod ait: Si lumen quod in te est, tenebræ sunt, ipsæ tenebræ quantæ erunt?

R. Sint lumbi vestri præcincti, et lucernæ ardentes in manibus vestris: * Et vos similes hominibus expectantibus dominum suum, quando revertatur a nuptiis. **V.** Vigilâte ergo, quia nescitis qua hora

Dominus vester venturus sit. **Et.** Glória Patri. **Et.** Pro Ss. Septem Fratribus Mm. et Rufina ac Secunda Vv. et Mm.:

Lectio ix

Septem Fratres, filii sanctæ Felicitatis, Romæ in persecutiōne Marci Aurélii Antonini a Público præfêcto frustra tentati, ut idola venerarentur, sexto Idus Julii, ipsa fortissima matre eos ad martyrium hortante, varie necati sunt. Januarius plumbatis cæsus; Felix et Philippus fistibus contusi; Silvanus ex altissimo loco præceps dejectus est; Alexander, Vitalis et Martialis capite plectuntur. Mater denique, quarto post mense, eandem martyrii palmam consecuta est. Rufina et Secunda sorores, virgines Romænæ, rejecto connubio Armentarii et Verini, quod virginitatem Christo vovissent, Valeriano et Galliëno imperatoribus, comprehensæ, Junii præfecti blanditiis et minis a proposito minime abductæ, vario tormentorum genere afflictæ sunt. Cum vero, ab Angelis custoditæ, in sancto proposito perseverarent, via Auréli-

lia, milliario decimo, capite plectuntur. Quarum corpora, a Plautilla matrona in ejus prædio extra Urbem sepulta, postea in basilica Constantiniãna prope baptisterium condita sunt.

Te Deum laudamus.

Ad Laudes fit Commemoratio Ss. Martyrum.

In II Vesperis Commemoratio sequentis et Ss. Martyrum.

Die 15 Julii

S. Henrici

Imperatoris, Conf.

Duplex

Omnia ut in Breviario præter ritum.

Die 18 Augusti

S. Rochi

Confessoris

Semiduplex (m. t. v.)

Ant. Similabo eum viro sapienti, qui ædificavit domum suam supra petram.

V. Amavit eum Dominus, et ornavit eum. **R.** Stolam gloriæ induit eum.

Oratio

Pópulum tuum, quæsumus Dómine, continua pietate custodi: et beati Rochi suffragantibus meritis, ab omni fac animæ et corporis contagione securum. **(Per Dóminum.)**

Deinde Commemoratio Octavæ Assumptionis:

Ant. Hódie María Virgo cælos ascéndit: gaudéte, quia cum Christo regnat in ætérnum.

V. Exaltáta est sancta Dei Génitrix. **R.** Super choros Angelórum ad cæléstia regna.

Oratio

Famulórum tuórum, quæsumus, Dómine, delictis ignósce: ut, qui tibi placere de áctibus nostris non valémus; Genitricis Filii tui, Dómini nostri, intercessióne salvémur. (Qui tecum vivit.)

Postea S. Agapiti Mart.:

Ant. Iste Sanctus pro lege Dei sui certávit usque ad mortem, et a verbis impiórum non tímuit; fundátus enim erat supra firmam petram.

V. Glória et honóre coronásti eum, Dómine. **R.** Et constituísti eum super ópera mánuum tuárum.

Oratio

Lætétur Ecclésia tua, Deus, beáti Agapiti Mártiris tui confisa suffrágiis: atque, ejus précibus gloriósis, et devóta permáneat, et securá consistat. Per Dóminum nostrum.

In II Nocturno

Lectio iv

Rochus, in Monte Pesusuláno natus, quanta in próximum caritáte flagráret tum máxime osténdit, cum, sævíssima peste longe latéque per Itáliam grassánte, pátria relicta, Itálicam peregrinatónem suscepit, urbésque et ópida péragrans, seípsum in ægotántium obséquium impéndere, animámque suam pro frátribus pónere non dubitávit. Quod beáti viri stúdiu[m] quam gratu[m] Deo fúerit, miris sanatió-nibus declarátum est. Complúres enim pestilentia inféctos e mortis periculo signo crucis erípuit, et íntegræ sanitáti restítuit. In patriam revérsus, virtútibus et méritis dives, sanctíssime óbiit, ejúsque óbitu[m] statim subsecúta est venerátio fidélium, quæ in Constantiénsi deinde concílio magnum recepisse dicitur increméntum, cum ad propulsándam ingruéntem luem Rochi imágo solémmi pompa, omni comitánte pópulo, per eándem civitátem, episcopis approbántibus, est deláta. Itaque ejus cultus mirífice propagátus, et multæ civi-

tátes eúndem sibi apud Deum advérsus contagiósam luem patrónum religiósu stúdiu[m] adoptárum.

R. Honéstum fecit illum Dóminus, et custodívit eum ab inimícis, et a seductóribus tutávit illum: * Et dedit illi claritátem ætérnam. **V.** Justum dedúxit Dóminus per vias rectas, et osténdit illi regnum Dei. **Et.**

Ex Tractátu sancti Augustíni Episcopi in Epistolam Joánnis

Tract. 5 in cap. 3, n. 4

Lectio v

Perfécta ista caritas est, ut parátus sis mori pro fratre. Hanc ipse Dóminus in se exhibuit, mórtuus pro ómnibus, orans pro eis a quibus crucifigebátur, et dicens: Pater, ignósce illis, quia nésciunt quid faciunt. Sed, si solus hoc fecit, non erat Magíster, si discipulos non habébat. Si quis tantam habúerit caritátem, ut parátus sit pro frátribus étiam mori, perfécta est in illo caritas. Sed numquid mox, ut nascitur, jam prorsus perfécta est? Ut perficiátur, nascitur; cum fúerit nata, nutritur; cum fúerit

nutríta, corroborátur; cum fúerit roboráta, perficitur; cum ad perfectiónem vénerit, quid dicit? Mihi vivere Christus est, et mori lucrum. Optábam dissólvi, et esse cum Christo; multo enim magis óptimum: manére in carne necessárium propter vos. Propter eos volébat vivere, pro quibus parátus erat mori.

R. Amávit eum Dóminus, et ornávit eum: stolam glóriæ índuit eum, * Et ad portas paradísi coronávit eum. **V.** Índuit eum Dóminus loricam fidei, et ornávit eum. **Et.**

Lectio vi

Tract. 6 in cap. 3, n. 1

Hæc est perféctio caritátis, et major omnino non potest inveniri. Sed quia non in ómnibus perfécta est, et desperare non debet in quo perfécta non est, si jam nata est quæ perficiátur: et útique, si nata est, nutriéndam est, et quibúsdam suis nutrimentis ad perfectiónem própriam perducéndam. Quæsívimus inchoatiónem caritátis unde incípiat, et ibi continuo invénimus: Si quis habet facultátes mundi, et viderit fratrem suum egéntem, et cláuserit

viscera sua advérsus eum, quómodo diléctio Patris manet in illo? Ergo hinc incipit ista caritas, fratres, ut de suis supérfluis tribuat egénti, in angústis ali- quibus constitúto; ex eo quod sibi abúndat secúndum tempus, a tribulatióne temporáli liberet fratrem. Hinc exórdium est caritátis. Hanc ita cœptam, si verbo Dei et spe futúrá vitæ nutrírís, pervéniet ad illam perfecti- onem, ut parátus sis ani- mam tuam pónere pro frá- tribus tuis.

R. Iste homo perfécit ómnia, quæ locútus est ei Deus, et dixit ad eum: In- grédere in réquiem meam: * Quia te vidi justum co- ram me ex ómnibus génti- bus. **V.** Iste est, qui con- témpsit vitam mundi, et pervénit ad cæléstia regna. Quia. Glória Patri. Quia.

In III Nocturno Homilia in Evangelium Nolite timere, de eodem Communi 2 loco.

Lectio IX de S. Agapito, ut in Breviario.

Ad Laudes

V. Justum dedúxit Dó- minus per vias rectas. **R.** Et osténdit illi regnum Dei.

Ad Bened. Ant. Euge, serve bone * et fidélis, quia in pauca fuísti fidélis, supra multa te constituam, intra in gáudium Dómini tui.

Oratio

Pópulum tuum, quæsumus Dómine, continua pietáte custódi: et beáti Rochi suffragántibus mé- ritis, ab omni fac ánimæ et córporis contagióne se- cúrum. Per Dóminum.

Et fit Commemoratio Octavæ Assumptionis:

Ant. Quæ est ista, quæ ascéndit sicut auróra consúrgens, pulchra ut luna, elécta ut sol, terribilis ut castrórum ácies ordináta?

V. Exaltáta est sancta Dei Génitrix. **R.** Super choros Angelórum ad cæ- léstia regna.

Oratio

Famulórum tuórum, quæsumus, Dómine, delictis ignósce: ut, qui tibi placere de áctibus nostris non valémus; Genitricis Fílii tui, Dómini nostri, intercessióne salvémur. (Qui tecum vivit.)

Deinde Com. S. Agapiti:

Ant. Qui odit ánimam suam in hoc mundo, in vitam ætérnam custódit eam.

V. Justus ut palma flo- rébit. **R.** Sicut cedrus Lí- bani multiplicábitur.

Oratio

Lætétur Ecclésia tua, De- tyris tui confisa suffrágiis: atque, ejus précibus glo- riósis, et devóta permáne- at, et secúra consistat. Per Dóminum nostrum.

Vesperæ de sequenti, Com- memoratio præcedentis:

Ant. Hic vir despiciens mundum et terréna, triúm-

phans, divítias cælo cón- dit ore, manu.

V. Justum et Oratio Pó- pulum, ut supra 32*.

Deinde Commemoratio Oc- tavæ Assumptionis:

Ant. Hódie Maria Virgo cælos ascéndit: gaudéte, quia cum Christo regnat in ætérnum.

V. Exaltáta est sancta Dei Génitrix. **R.** Super choros Angelórum ad cæ- léstia regna.

Oratio Famulórum, ut supra 32*.

ADDENDA ET VARIANDA
IN LECTIONE MARTYROLOGII
JUXTA

KALENDARIUM BEROLINENSE PROPRIUM

Die 16 Junii

Ponitur primo loco elogium S. Bennonis Ep. et Conf.

Die 3 Julii

Sancti Ottónis Episcopi, cujus natalis pridie hujus diéi recensétur.

Die 4 Julii

Commemoratio Omnium Sanctórum Summórum Pontíficum, qui Cáthedram sancti Petri tenétes Ecclésiám feliciter rexérunt et quorum plúrimi christiá-næ fidei veritátem effúso ságuine comprobárunť.

Ponitur secundo loco elogium S. Udalrici Ep. et Conf.

Die 10 Julii

Octáva Sancti Ottónis Episcopi.

Die 18 Augusti

Sancti Rochi Confessoris, de quo ágitur décimo séptimo Kaléndas Septémbris.

INDEX ALPHABETICUS

| | pag. |
|---|------|
| Bennonis Ep. et Conf., duplex. 16 Junii | 7* |
| Bonifatii Ep. et Mart., duplex II classis. 5 Junii | 7* |
| Commemoratio Omnium Sanctorum Summorum Pontificum, duplex majus. 4 Julii | 15* |
| Henrici Imp., Conf., duplex. 15 Julii | 29* |
| Ottonis Ep. et Conf., duplex I classis. 3 Julii . . | 10* |
| — De VII die infra Octavam, semiduplex. 9 Julii | 25* |
| — Octava, duplex majus. 10 Julii | 26* |
| Petri et Pauli App. 29 Junii | 10* |
| Rochi Conf., semiduplex. 18 Augusti | 29* |